



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. V. Quisnam sit terminus totalis, & formalis actionis unitivæ Dei, seu
assumptionis humanitatis ad verbum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

subsistentiæ, quæ deberet esse terminus secundarius creationis, ponitur in ipsa re creata, alia subsistentia, ut contingit in præsentia.

86. Obijcies tertio: Si humanitas Christi non esset producta ex vi ejusdem actionis quæ est unita Verbo, prius naturâ fuisset producta, quam unita Verbo: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, nam quando productio & assumptio alicujus rei sunt actiones realiter distinctæ, semper productio naturâ est prior assumptio-
ne. Minor verò probatur: Si Christi humanitas prius naturâ esset producta, quam unita Verbo, sequeretur B. Virginem non esse propriè matrem Dei, quia ejus conceptio, seu generatio, ad solam humanitatem completè terminaretur, prius naturâ quam assumeretur à Verbo, illique personaliter uniretur. Potestque hæc ratio hoc exemplo illustrari & confirmari. Si ignis produceret calorem, & aliud agens illum uniret subiecto, talis ignis diceretur quidem producere calorem, sed non facere calidum: Ergo si alia fuit actio humanitatis productiva, scilicet generatio, & alia unitiva, scilicet assumptio, B. Virgo, quæ solùm concurrit ad productionem humanitatis, generavit quidem hominem, sed non ipsum Christum, ex divina & humana natura compositum, subindeque mater humanitatis, non autem Christi, & multo minus ipsius Dei, dici debet.

87. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, ad ejus probationem, negatur sequela, & ad ejus probationem, in primis dici potest cum S. Thoma infra quæst. 32. art. 4. mulierem non ideò generare filium, quòd eliciat actionem generativam, sed quia ministrat materiam ex qua, virtute activa seminis virilis, formatur corpus, & producitur natura subsistens: unde ut B. Virgo dicatur & verè sit mater Christi, sufficit quod ministraverit materiam ad formationem humanitatis ejus, quamvis nullum habuerit concursum activum circa illam, & multo minus circa unionem personalitatis Verbi cum naturâ humana, ad quam ne instrumentaliter quidem concurrit, ut infra ostendemus.

88. Si quis autem sequi velit sententiam Medicorum, existimantium mulierem non solùm passivè, sed etiam activè, ad generationem, seu formationem foetus concurrere, subindeque ad productionem naturæ subsistentis, respondere poterit cum Nazario hic, quod ut B. Virgo dicatur concepisse & genuisse Deum, non requiritur quod ejus actio fuerit unitiva humanitatis Christi ad suppositum Verbi Divini, sed sufficit quod Christi humanitas in eodem instanti fuerit ad unitatem Verbi personalem assumpta, in quo ejusdem humanitatis conceptio fuit; quia tunc suppositum Verbi Divini censetur ultimè complere & terminare actionem generativam B. Virginis, cum illud præstet personalitas Verbi Divini, seclusis imperfectionibus, quod fecisset propria & connaturalis subsistentia humanitatis, si resul-
tasset.

Ad exemplum verò de igne dicendum quod si actio ignis esset de se unitiva caloris cum aliquo subiecto, licet virtute divinâ substitueretur aliud, talis ignis diceretur facere calidum, non verò si talis actio non esset unitiva caloris cum aliquo subiecto. Unde cum generatio, quâ B. Virgo formavit Christi humanitatem, ex natura sua esset actio unitiva talis humanitatis cum supposito connaturali, quamvis virtute divinâ, per aliam actionem positum sit & substitutum suppositum

A Verbi Divini, potest nihilominus Beatissima Virgo verè dici genuisse Christum, sive Deum & hominem simul.

ARTICULVS V.

Quisnam sit terminus totalis, & formalis actionis unitivæ Dei, seu assumptionis humanitatis ad Verbum?

Supponimus ex Philosophia posse dari aliquem actionis duplicem terminum, alium totalem, seu qui, & alium formalem, seu quo. Totalis est ille qui adæquatè correspondet actioni, & ipsam sic terminat: formalis verò est ipsa ratio seu forma à qua effectus habet esse, v. g. in generatione substantiali, terminus qui, seu totalis, est suppositum, seu compositum ex natura & subsistentia; terminus verò quo, seu formalis, est forma ipsa substantialis, quâ compositum habet esse. Hoc præmissò.

Circa terminum qui sive totalem actionis unitivæ Dei, seu assumptionis humanitatis ad Verbum, nulla est inter Theologos controversia; omnes enim unanimiter docent, talem terminum esse Christum, seu personam compositam ex divina & humana natura. Sed de ejus termino quo, seu formali, varia sunt Authorum placita. Suarez enim hic disp. 8. sect. 3. asserit terminum formalem hujus actionis esse modum substantialem unionis, quo Verbum Divinum humanitati assumptæ copulari existimat. Vazquez hic disp. 19. cap. 2. vult naturam humanam esse terminum formalem hujus actionis. Alij cum Gabriele in 1. dist. 1. art. 1. censent illius actionis terminum esse qualitatem quandam supernaturalem in natura humana productam, quam gratiam unionis appellant. Thomistæ verò, excepto Aravio, docent actionem unitivam habere pro termino formali personalitatem Verbi, ut connotat naturam humanam, cui dat esse subsistentem.

§. I.

Statuitur vera sententia.

Dico primò: Terminus qui, sive totalis, assumptionis, seu actionis unitivæ Dei, est Christus, seu persona composita ex humana & divina natura. Ita communiter Theologi.

Probatur breviter: Terminus qui, sive totalis, actionis unitivæ duorum extremorum, est compositum ex illis resultans: Sed Christus est compositum ex actione unitiva humanitatis cum divinitate resultans: Ergo est terminus qui, sive totalis, assumptionis, seu actionis unitivæ Dei. Minor constat ex dictis art. 2. hujus disputationis. Major verò inductione manifestari potest, in omnibus alijs actionibus unitivis, præcipuè generatione & resurrectione hominis, in quibus terminus qui, sive totalis, est ipsum compositum ex partibus unitis, vel reunitis resultans. Et ratio est, quia per tales actiones, id quod per se intenditur, non est nisi compositum, ex unionem extremorum confluentem.

Dico secundò: quamvis daretur modus aliquis substantialis unionis, quo humanitas jungeretur formaliter Verbo Divino, ille non esset terminus formalis assumptionis, seu actionis unitivæ Dei.

Probatur:

Probat: Licet daretur modus unionis inter materiam & formam, ille tamen non esset terminus formalis generationis: Ergo similiter, quamvis poneretur modus aliquis substantialis unionis, quo Verbum humanitati assumptæ copularetur, non esset propterea terminus formalis assumptionis, seu actionis unitivæ Dei. Consequentia manifesta videtur ex paritate rationis. Antecedens verò docetur communiter à Philosophis in libris de generatione, solis Conimbricensibus exceptis, & hac ratione suadetur. Terminus formalis generationis est ille per quem constituitur terminus totalis: At terminus totalis generationis, nempe compositum, vel suppositum, non constituitur per ipsam unionem, cum unio non sit pars, sed purus nexus partium, sed per ipsam formam, sive totalem, qualis est humanitas, sive partialem, qualis est anima rationalis: Ergo terminus formalis generationis non est unio, sed forma; terminus quidem formalis totalis, forma totalis, v.g. humanitas; terminus verò formalis partialis, forma partis, puta anima rationalis.

Ex quo probari potest directè conclusio, hac ratione. Terminus formalis actionis unitivæ Dei, est id per quod constituitur terminus totalis, sive quod idem est, debet esse natura termini totalis, producta, vel communicata: Sed modus substantialis unionis, quamvis admitteretur in humanitate Christi, non esset natura termini totalis: Ergo quamvis daretur, non esset terminus formalis actionis unitivæ Dei. Major constat ex dictis, & probatur à D. Thoma quest. 2. de potentia art. 1. quia terminus formalis cuiuslibet actionis, est ille per quem fit ut passum, seu terminus totalis, sit quodammodo similis vel idem cum agente. Unde etiam Minor constat, nam modus ille substantialis non est id ratione cuius Christus est similis, vel potius idem in persona cum Deo, seu Verbo.

Dico tertiò: Terminus formalis assumptionis, seu actionis unitivæ Dei, non est natura humana assumpta à Verbo, sed ipsa Verbi Divini personalitas, seu subsistentia, ut communicata humanitati.

Probat: In omni actione unitiva id habet rationem termini formalis, quod habet rationem actus, & perfectivi, non verò quod habet rationem materiæ & perfectibilis: At in assumptione humanitatis ad Verbum, quæ est actio unitiva, id quod habet rationem actus & perfectivi, est personalitas, seu subsistentia Verbi Divini, ut communicata humanitati; ipsa verò humanitas se habet ad illam, tanquam quid materiale & perfectibile per ipsam: Ergo terminus formalis assumptionis seu actionis unitivæ Dei, non est natura humana assumpta à Verbo, sed ipsa Verbi Divini personalitas, ut humanitati communicata. Minor est certa, Major verò constat ex his quæ dicuntur in physicis de termino generationis hominis, ubi dicitur quod non materia, sed anima, & non utrunque, sed ut unita, seu communicata ipsi materiæ, est terminus formalis generationis hominis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primò contra primam conclusionem: Terminus qui assumptionis debet esse aliquid creatum: Sed Christus non est aliquid creatum: Ergo non est terminus qui assumptionis. Minor patet, quia Christus non existit, nisi existentia divinà, ut infra ostendemus, unde hæc

Tom. IV.

A propositio, *Christus est creatura*, est absolute falsa. Major verò probatur. Terminus qui sive totalis assumptionis est aliquid in tempore factum: Sed quod fit in tempore per veram & realem actionem, est quid creatum: Ergo &c.

Respondeo quod si loquamur de termino totali assumptionis materialiter, ratione terminorum ex quibus coalescit, neque est quid creatum, neque quid increatum, sed utrumque simul; imò quia includit humanitatem, quæ constat ex partibus seorsim factis per creationem, & ipsam divinitatem, est quid increatum ratione divinitatis, quid creatum ratione materiæ, & animæ rationalis, ratione verò humanitatis est quid genitum; imò & in quantum homo. Caterum loquendo de ipso termino totali formaliter, qui ex prædicta actione unitiva confurgit, est quid creatum, non sumendo strictè creationem, prout dicit productionem ex nihilo, quia revera est ex aliquo priori, scilicet divinitate & humanitate; sed latè, prout significat quamcumque actionem per quam aliquid quod antea non erat, habet esse de novo: Christus enim factus est in tempore per assumptionem humanitatis ad Verbum, seu per actionem unitivam Dei, juxta illud Joan. 1. *Verbum caro factum est*, & illud quod canit Ecclesia in Symbolo, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est*. Ratio enim id suadet: Ad hoc enim ut aliquid compositum dicatur factum formaliter, non est necesse quod per actionem ex qua resultat, producta fuerint extrema, sed sufficit quod fuerint adinvicem copulata. Si quis enim albedinem præexistentem separatam, uniret subjecto, verè produceret album. Item si anima rationalis & materia essent ab æterno, & in tempore unirentur ad componendum hominem, talis homo verè in tempore produceretur, essetque factus in tempore, etsi partes secundum se essent æternæ. Pariter ergo dicendum est, quod licet per unionem humanitatis ad Verbum, non fiat ipsum Verbum, imò nec etiam ipsa humanitas, dici tamen debet, quod fiat Christus, qui est quid compositum ex Verbo & humanitate.

Obijciens secundò cum Suare contra secundam conclusionem: Terminus formalis actionis productivæ sui termini totalis, semper debet esse quid productum per talem actionem; alias enim talis actio non esset factiva ipsius termini totalis, cum nihil in eo posset assignari productum per talem actionem: At nihil potest dari productum per assumptionem, seu actionem Dei unitivam, præter modum unionis, quo Verbum humanitati assumptæ conjungatur: Ergo talis modus unionis admittendus est, & pro termino formali assumptionis assignari debet.

Respondeo negando Majorem, nam in divinis terminus formalis generationis filij, non est filiatio, quæ per eam producitur, sed essentia, quæ non producitur, sed communicatur, ut docetur in Tractatu de Trinitate; & in humanis terminus formalis generationis hominis est anima rationalis, quæ non producitur per ipsam generationem, sed solum unitur materiæ. Cur ergo similiter subsistentia Verbi Divini non poterit esse terminus formalis assumptionis, seu actionis unitivæ Dei, quamvis per illam non producat, seu duntaxat naturæ humanæ communicetur? Ad probationem in contrarium, dicendum est, quod ut actio dicatur productiva termini totalis, non est necesse quod producat aliquid ex extremis,

Nnn

ex quibus resultat, sed sufficit quod illa inter se conjungat, quia ex tali conjunctione ipse terminus totalis resultat, ut in solutione præcedentis objectionis duplici exemplo declaravimus.

98. Obijcies tertio contra tertiam conclusionem: Quod constituit terminum totalem alicujus actionis, est terminus formalis illius: Sed humanitas constituit terminum totalem assumptionis, nempe Christum, qui in specie hominis per humanitatem constituitur: Ergo humanitas est terminus formalis assumptionis.

99. Respondeo distinguendo Majorem: Quod constituit terminum totalem, per modum actus & perfectivi, est terminus formalis actionis productivæ, concedo Majorem. Quod constituit quomodocunque, nego Majorem: materia enim ingreditur constitutionem termini totalis generationis, illumque in ratione materialis constituit, & tamen non ipsa, sed forma est terminus formalis ipsius generationis. Similiter distinguo Minorem: Humanitas constituit terminum totalem assumptionis, per modum actus & perfectivi, nego Minorem. Per modum potentie & perfectibilis à divino supposito, ad cuius esse trahitur, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Licet ergo humanitas & personalitas Verbi Divini; ad constituendum Christum concurrant, quia tamen humanitas hoc facit, non exercendo formaliter rationem actus & perfectivi, sed potius ut perfectibilis, & materialis, respectu personalitatis Verbi Divini, ideo non illa, sed substantia Verbi Divini, ut ipsi communicata, terminus formalis assumptionis dici debet.

100. Dices, Personalitas Verbi est sustentans ipsam humanitatem: Ergo se habet per modum materie, & non per modum actus in ordine ad illam.

Sed facile responderetur, distinguendo Antecedens: Est sustentans humanitatem, passivè, & per modum subiecti recipientis, nego Antecedens. Activè, ac per modum termini & actus eam completis & perfectientis, ac facientis subsistere, concedo Antecedens, & nego Consequentiam; quod enim hoc secundo modo sustentat aliud, non per modum materie, & potentie perfectibilis; sed per modum actus & perfectivi se habet.

101. Obijcies quartò: Si personalitas Verbi esset terminus formalis assumptionis, assumptio naturæ angelicæ (si Deus veller eam assumere ad substantiam Verbi) esset ejusdem speciei cum assumptione naturæ humanæ: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Majoris sequela patet, quia haberet eundem terminum formalem, & consequenter specificantem. Minor etiam manifesta videtur, quia per assumptionem naturæ angelicæ constitueretur aliquod totum diversæ speciei ab eo quod est constitutum per assumptionem naturæ humanæ, nempe hic Angelus.

102. Respondeo primò, negando Majorem, quia licet esset idem terminus formalis assumptionis materialiter, nempe personalitas Verbi, non tamen sub eadem ratione formali: sicut enim unica res materialiter potest induere rationem termini ad quem duorum motuum contrariorum, puta sursum & deorsum, quatenus connotat diversum medium, & diversum terminum à quo: ita etiam eadem personalitas Verbi materialiter, potest induere multiplicem rationem termini formaliter diversarum assumptionum, prout potest

A hanc aut illam naturam connotare, eam terminando & complendo; quod maxime ex eo verificatur, quod cum sit omnibus modis infinita, continet eminenti modo cujuslibet creatæ substantiæ perfectionem; atque ita terminat naturam humanam; ut continet perfectionem personalitatis ipsius; terminaret verò naturam angelicam, prout continet personalitatis angelicæ perfectionem.

Respondeo secundo, datà Majori, negando Minorem, quamvis enim assumptione naturæ angelicæ constitueretur unum diversum in specie ab eo quod est constitutum per assumptionem naturæ humanæ, illa tamen diversitas se haberet materialiter ad assumptionem, quia illud constitutum esset formaliter eadem persona, quamvis in alia natura subsistens, atque ita assumptio esset formaliter eadem, quamvis materialiter aliquo modo diversa, ratione diversitatis naturæ.

ARTICULUS VI.

Utrum unio hypostatica, in ratione unionis, sit omnium maxima?

Dixi in ratione unionis, quia de unione hypostatica, in ratione doni, seu beneficii considerata, egimus disp. 3. art. 1. ubi illam esse omnium donorum & beneficiorum Dei præstantissimum, & perfectissimum omnium communicationum ad extra, fuisse ostendimus. Cum autem unio claudat in se & extrema quæ conjunguntur, & medium in quo uniuntur, potest dici major vel minor dupliciter, nimirum ex parte extremorum, & ex parte medij. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ

Dico primò: Unio hypostatica ex parte extremorum quæ uniuntur, scilicet naturæ humanæ & divinæ, non est maxima unionum. Ita D. Thomas hic art. 9. in corp. & in resp. ad 2.

Probatür breviter ratione quam ibidem innuat. Tantò minor est unio aliqua ex parte extremorum, quantò magis extrema illa distant, sive quantò minorem habent proportionem; ideo enim minor est unio accidentis & subiecti, quàm materie & forme, quia accidens & subiectum magis distant, & minorem habent proportionem, quàm materia & forma: Sed minor est proportio inter ea quæ per unionem hypostaticam conjunguntur, quàm inter plura alia, quia natura humana & divina, quæ sunt hujusmodi extrema, non habent naturalem inclinationem & coaptationem ad unionem, sicut materia & forma v. g. sed solum est potentia obedientialis in natura humana: Ergo unio humanæ naturæ & divinæ in Christo non est maxima, si consideretur ex parte extremorum quæ conjunguntur.

Dico secundo: Unio hypostatica, ex parte ejus in quo uniuntur in Christo natura humana & divina, est maxima unionum. Ita Doctor Sanctus loco citato, & Theologi communiter contra Durandum.

Probatür: Tantò major est unio aliquorum, quantò simplicius & magis unum est medium quo invicem uniuntur, & minis ab extremis unitis differt: Sed in unione hypostatica medium est simplicius, & minis ab extremis differt, quàm in omnibus alijs unionibus creatis: Ergo &c. Major est evidens, perfectio enim unionis debet sumi ex